

NVMMVS LVGVBRIS

FERDINANDI IMPERATORIS

obitum ac sepulturam indicans : Cusus

Anno Christi 1565.



Vgusto huic Pio, Felici (plura non poterat capere Nummi lugubris angustia) ecquod dignum magis ac locuples Elogium subjecero : quàm illud Jacobi Thuani, facundiâ Livianâ redundantis Historici? *Ferdinandus* (verba modò laudari) *levi febri initio, mox vehementiore per semestre tentatus, accedente aquâ intercutē, quâ masâ sanguinis corruptâ, jam se per tumorem insolitum prodebat, cum summum diem insitare præfagiret, non tamen se ante festum Jacobi diem, fatis concessurum affirmavit.* Nam ita Deum decrevisse, ut quemadmodum, inquit, is peregrinus apud nos, ita Ego Hispaniarum infans extra solum natale, cum ipso peregriner. Tandem 8. Cal. Sext. qui Jacobo sacer est, sicuti prædixerat, placidè in Deo obdormivit : cum LX. annos IX. menses vixisset : Imperium solus 7. annos administrasset, Princeps prudentiâ justitiâ, liberalitate, assiduitate, vigilantia nulli secundus : sed super eas omnes virtutes, pietatis in illo & pacis in domo Dei constituendæ præcipuum studium fuit. Nam ut in impetu Turcorum, cui impar viribus erat, sustinendo ac frangendo morâ & arte uti optimum factum experientiâ didicerat : sic & in religionis negotio non igne & ferro grassari : sed colloquiis, & disputationibus : amicis collationibus, Conciliis denique, sive Nationalibus, sive Occu-

menicis rem gerere tutius judicabat. Plura mereris Imperator Optime : sed laudes tuas, nec nummus (dixi ante) nec pagina hæc capit. *Historicus allegatus.*

Author.